

resecisso. *Maxilla* superior, quae obtusa et brevior, cum inferiore, quae acuta et longior ita coit, ut vix oris rostrive scissuram ullam diceret. *Dentes* utrinque habet, in superiore maiores, in inferiore minores. In ipso oris hiatu unus est, caeterorum longissimus et acutissimus, qui ore clauso in foramen anterioris ac membranaeae partis ita suscipitur, ut extrinsecus etiam paululum emineat. *Lingua* scabra est, denticulisque aspera. *Linea*, quae a branchiis ad caudam usque per latus deducitur, et initio flavescit cum dorso, squammis parvulis et duriusculis, mira arte contexta est. De numero *pinnarum* Authores non conveniunt.

Aldrovandi Sphyraena per dorsum nigricat, caetera ad amethystinum vergunt, et ejusdem coloris maculis interstinguuntur. *Linea* flavescit, ruberrimis infra supraque punctis exiguis notata. *Caput* caeruleum. *Oculi* et *pinnae* pallescunt. *Cor* oblongum est, sub quadam velicula alba inclusum. *Pylorus* a stomacho confurgit tam multiplici *apophysium* seu coecorum caesarie intertextus, ut penitus stomachum contegant; nec a quoquam numerari possint. *Fel* ab hepatis loco dextro latere in folle oblongo dependet. *Follem* ei natura vento plenum oblongum, anteriore parte bifidum, utrinque in acutum exeuntem dona-

vit, ne ad imum fideret. *Spina* dorsalis raris vertebrae coagmentatur.

De loco non est quod multa dicamus. Aelianus dum pelagias dicit, Smyraenas potius innuere videtur. Expresse enim ex quo ille de piscibus fere omnia ἐν πέτρῃσι καὶ ἐν ψαμάδοισιν νέμονται. Gregatim degere et Aristoteles testatur, et piscatores comprobant. Captis an ὀλιγοῖσι μελέεσσι διαχειρίσιν lubricis excidere membris, quod ex Oppiano Aelianus prodidit, an competat, ex superioribus colligi potest. Non fallitur, qui pro Sphyras Smyraenas legerit.

Quantum ad usum Romae seu plebejus negligitur, nec peculiarem habet conditurae modum. Hicet apud Athenaeum περιποιητέρας congris esse, ἀπειθεῖς δὲ τὴν γεύσιν καὶ ἀσώμους, εὐχολίαι δὲ μέσας gustui ingratos, ori insuaves, succum mediocriter laudabilem generare dicit: sed cum congris ex cartilagineorum sint genere, Philotimoque δυσκατεργάστεροι dicantur, et Rondeletius carne esse candida suavi, quodammodo friabili, et Aselli carnem referente, cui simul cum Lupo praecipuam auctoritatem fuisse Cornelius Nepos, et Laberius Poeta tradiderint; quin Cestrae lumbi cum aliis lautissimis obsoniis ab Antiphane nominantur, vel librarios, vel Athenaeum attactum superius errorem commisisse, verisimile est.

Oppian.
Halieut.
l. i. v. 168.
Aristot. H.
A. l. 9. c. 2.

Oppian.
Halieut. l. 3.
v. 120.
Aelian. H.
A. l. i. c. 31.

Athen. l. 7.

Aldrovand.
de Piscibus
l. i. c. 21.

ARTICULVS XVII.

De Acu.

PUNCTVM I.

De Acu Aristotelis.

TAB. XIV. 13. **P**iscis, quem Latini Acum vocant, Graecis longitudine et tenuitate Βελόνη, Παφίς, Athenaeo Ἀβλεννής, quasi sine mucro, dicitur, sunt qui βληδόν ut Varinus citat, et βελδόν nuncupant.

Unam ejus duntaxat speciem Salvianus agnoscit. Bellonius cum Rondeletio duas. Nos de Acu Aristotelis, Oppiani, et Bellonii agemus. Hinc autem Rondeletius illum piscem esse credit, quem Bellonius *Typhlinen* et *Caeciliam marinam* ob corporis figuram, Plinii *Spondylem*, Graecorum vulgo *Herophidiam*; Massi-

lienses *Gagnolam*, quod quoties piscantur, si alios pisces praecedere viderint, lucrum portendi credant, vocant. Piscis est longus, cubiti longitudine, digiti crassitudine, totus subflavus. *Corpus* utriusque sexus angulosum, oblongum, a capite ad meatum excrementorum semper crassescens, sexangulum, sed deinceps, ut tenuius efficitur, pro sexangula quadrangulam formam induit. *Caput* habet exiguum, *Rostrum* oblongum, durum, nec acuminatum. *Extrema* pars latiuscula exstat, rictus in altitudinem dehi-